

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

XIX. Ungarica

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

lia antiquitus habita illustrent, veteres terrarum mensores Dalmatiae ambitu complectuntur, cuius Antistes antehac metropolin Colociensem agnoscebat.

§. XII. Idem vero Antistes Petrivaradinum incoluit, quo factum est, ut Episcopi Sirmienses, etiam Petrivaradinenses, salvo utriusque oppidi discrimine dicerentur.

§. XIII. Fallitur autem V Volfgangus Lazius, quum tradit, Sirmii Antistitem, a Stephano S. constitutum fuisse.

§. XIV. Dalmatiae et Croatiae regna Hungariae iunxit Ladislaus II.

§. XV. Bulgariam Moesiamque stipendiariam fecit Stephanus V.

§. XVI. Geisa II. Rex Saxones in Transylvaniam accivit, quo argumento refellitur commentum de egressu Hamelenfi.

§. XVII. Dacia maior est Valachia, Dacia minor hodie Moldavia appellatur.

§. XVIII. Bosnia dicta est a Bessis, quos Bulgari ex Moesia inferiori eiecerunt, atque ea de causa isti in tractum Savo proximum transferunt.

§. XIX. Hinc intelligi potest, quae sit Moesia superior et inferior, si de Bulgaria et Servia disquisitione instituatur.

§. XX. Moesiae pars est Rascia, multis dudum nobilitata monumentis.

## XIX. UNGARICA.

Regnum, quod Vngaricum appellatur, primi Pannonnes (a) tenuerunt, viribus suis eo usque innixi olim, ut nemo ante Augustum subigere, nemo alius recipere in veteris imperii fidem posset.

(a) Gravem sententiae testem adducimus Appianum Alexandrinum eo libro, quem composuit de bellis Illyricis, quo comprobatur, Pannonnes Illyricorum gente ortos fuisse. Graecis, ut idem auctor est, Pacones dicebantur, quae notione expresserunt seculo I. Strabo lib. 7. edit. Basil. Ovidius et Martialis: sec. III. Philostratus, l. 8. de vit. Apollon. sec. V. Zosimus. Nec enim Graecis ignoti esse poterant, qui ad Graecorum usque fines porrigebantur, Strab. l. all. p. 365. Nec desunt Appiano argumenta, quod Pannonnes sub Macedonum regibus stipendia fecissent. Neque tamen id eo spectat, ut Pacones Macedoniae populos intelligamus, quippe qui multum differunt a Paconibus nostris, Iohannes Nadanyus Fl. Hung. p. 17. qui ex hac causa redarguit Dionem Cassium. Horumque antiquitas tanta fama fuit, ut universam Italiam perculerint ingenti metu, Appianus p. 1202. Quo allegat commentarios Augusti Caesaris, ut qui se memoriae tradidisset de his gentibus Appiani sententiam in medio relinquit Antonius Bonfinius, rerum Hungaricarum, ut

Thuan



Tbuanus l. X. Hist. appellat, scriptor luculentus, dec. i. l. i. p. 20. Impense errat Iohannes Sambucus, qui a Bannone velut primo rege hoc regnum auspiciatur, idque sub annum a Noachica aquarum eluvione CLV. Tum vero eum deducit a stirpe Semi contra omnes historiae sacrae rationes. Id saltem docet nobis, num recte, et probat Pannonas uque ad Augustum fuisse suae spontis, et vixisse, liberos, nec alius, quam suis legibus usos, app. p. 829. De Pannoniae divisione in superiorem et inferiorem vid. Claudius Ptolomeus l. 2. cap. 15. Iac. Aug. Tbuanus l. 10. Hist. ad An. 1551. Nadanyus l. 1. cap. 5. Iamque diu ante Tacitus Pannonias nomine plurimum indicavit, de Germ. Mor. lib. 1. Vellei. H. II. 110. Rufus Festus in brev. ad Valentin. Imp. Pannoniarum duas vocavit. Caspar Ens a Danubio in cis- et trans-danubianam, partitur: hanc primam, illam secundam cognominat, eaque frequens etiamnum, et subinde in regni tabulis usurpata divisio est. Conf. articuli pacis A. 1606. corpori articuli universi regni Hung. inserti, et Ann 1668. vulgati.

§. II. Simulatque vero lapsa Romanorum res est, barbari versis ad dominatum animis, provincias (b) Romanorum invaserunt, maiori prae caeteris audacia Vandali, qui ut nihil non experirentur, a Constantino oraverunt sedes. (c) quas quum impetrassent, iam velut cedendo securi, brevi post in maius periculum venerunt, commotis ad expeditionem Gothis, quos fugerant haecenus, ut maiori impetu fugerentur.

(b) Pannonia ab Augusto ad obsequium, a Tiberio in provinciam redacta, alterum ex Appiano, alterum ex Svetonio, cui declarando offerimus Rufum Festum, evincimus. Ille, Batonem, inquit, Pannonium Ducem ingentibus donatum praemiis, Ravennam transtulit: etc. Vbi nemo non videt, cur utatur transferendi vocabulo, quippe quod eo valet, quo constat, regno destitutum fuisse Batonem, et supremum adeo in regnum illud ius ac potestatem Tiberio cessisse. Quod de praemio donato refert, id pertinet ad simulacra imperantium, qui usurpant haec calliditate instrumenta, ut victi servitutem aequius ferant. Nullus dubitationi locus est, si, quod nunc res monet, Rufum Festum inspiciamus. Hic vero ait: Batone (alii Bastone, aut Barbone) Pannoniorum rege, subacta, in ditionem nostram Pannoniae (superior et inferior) venerunt. Haud scio, an quid dicere evidentius potuerit Rufus Festus. Nec tamen ignoro, Dionem Batonem esse Dalmatiae regulum: at fecerim hic libentius cum Svetonio, tum quia propioris aevi, tum quia sanctiorum epistolarum magistro apud Adrianum, qui nec negligenter, et de industria exequitur hanc historiae partem. Dionem, ut solet, sequitur Xiphilinus edit. Henric. Steph. qui quod nos de Pannonia, idem de Dalmatia extulit. Δαλματία μεσογένητος τοῖς Ρωμαίοις. Posset quis suspicari hic, aut iuncta Pannoniae Dalmatiaeque regna, aut reges diversae unius nominis fuisse, cum de Batonis illo certum sit, populare inter Pannonas fuisse, ut signant monumenta veterum inscriptionum.

(c) Ior-



(c) Iornandes de reb. Get. p. 102. breviter strictimque explicat hoc, unde repetunt rerum Hungaricarum scriptores, Antonius Bonfinius decad. 1. l. 2. p. 39. Iobannes Sambucus p. 829. quorum quidem ille liberius, iste hoc loco certius definit annos, quibus Vandali in Pannonia commorati sunt, quod intelliget, qui utroque iudicabit ex Iornande allegato. Coniecto autem, Bonfinium auctoritate Sigeberti Gemblacensis deceptum, qui existimat, LX. annis habitasse Pannoniam Vandalos, Chronograph. p. 479. edit. Pistor.

§. III. Gothi, quos five sua immanitas, five regnandi spes induxerat, non manendum rati, ubi migrandi ratio esset exactis ab eo tempore, quo Vandali Pannonias ingressi erant, quadraginta annis, iter una et signa parant, ducturi in Vandalos, qui, ut evenire his rebus solet, metu correpti, recedere, quam occurrere periculo maluerunt. (d)

(d) Compendiarium Vandalorum historiam fecit Isidorus Hispalensis, cum quo conf. Iobannes Gerundinensis Gotbus, Idacius Lemicensis, & Iosepho Scaligero editi. Discessisse ex Pannonia ob Gotborum metum, confirmat Iornandes de reb. Get. p. 111. Sambucus confidenter memorat, Vandalos a Gotbis exturbatos esse. conf. Matth. & Michou de Sarmat. Asian. l. 1. cap. 10. Marcus Aurelius Cassiodorus in Arcad. et Honor. prodidit, Vandalos Alanis iunctos, Galliam intravisse. Bonfinius iterum sequitur Sigebertum, nec repugno, quod Paulus Diaconus quoque scripserit, & Stilicone Vandalae stirpis homine, eodemque Honorii praefecto suscitatos, in Galliam irent, vastarentque omnia et dividerent ferro. Quae dum inter Vandalos, Gotbosque agebantur, Pannonies illius regionis Aborigines, tot infestis migrationibus turbati saepe excisique nomen saltem successoribus reliquerunt. De Vandalis alioqui et Gotbis omnes scire arbitror, modo amicos, modo hostes, ut amicitiae mortales sunt, fuisse. De foederibus utrorumque vid. Procopius, Eutropius, Zosimus, Ado Vinnensis, aliique. Ad Gotborum historiam addimus, ante Illyricum vastasse, quam infesta signa in Pannoniam intulissent. Eusebius Chron. lib. post p. 176. Prior enim illa irruptio incidit in A. C. 271. posterior in A. C. 382. Reliqua huius argumenti prosequimur iusto commentario in rebus Sveo Gothicis.

§. IV. Nihilo fecius Hunnis (e) in turbido consilium erat, quorum ferocia crevit exemplo, evasitque eo ut vel ad solam nominis Hunnici mentionem inhorrescerent Romani, tanto magis, quod impetum adiuveret fortuna, Gothosque vigore pariter et fortitudine mirabiles Pannonia exturbarent.

(e) Huius Eusebio Chunni, Chr. lib. prior: aliis, praecipue Vngaris Vnni, ut apud Bonfinium est, scripti extant. Origo per fabulas explicata est a Iornande de reb. Get. p. 103. 104. quem sequitur Sigebertus Gemblacensis Chronograph. p. 481. Id. Olaus Hist. l. 6. cap. 24. Nam ratione careat, quisquis credit, Hunnos ex Germanorum



tarum Aliranis a Faunis, sive hominibus sylvestribus compressis natos esse. Alirnae quales fuerint, reperire est apud Saxonem Sialandicum Olauum VVormium et Iornandem dicto loco. Cuius gentis Hunni fuerint, faciunt docti, ut discipretur. Albertus Crantzius Vandal. l. 6. cap. 5. Hunnorum perinde, ac Vandalorum vestigia extare in Germania affirmat. Neque id inficiari ausim, si certum sit, Hunnos a Gothis procreatos esse, quod placet Iohanni Magno l. 6. hist. Goth. Sveon. c. 24. Alii pro Sarmatis habent, cuiusmodi opinio tribuitur Ptolomaeo, ut enarrat Elias Reusnerus p. 207. de Misin. Et fortean non dissentit Melchior Goldastus, qui Hunno-Slavicum componit una voce, l. 1. c. 5. p. 47. de reg. Boh. Qui nobis Hunni, multis Auares dicuntur, V. Aimoisius l. 3. cap. 11. Paulus VVarnefridi de gest. Langobard. l. 2. p. 224. Eginhardus de vit. Karol. M. cap. 3. Distinguntur Hunni in Asianos, et Europaeos, de quibus est apud Procop. l. 5. Matthias a Michou refert, alios in Scythia confedisse, alios in eam regionem, quae nunc Hungaria audit, profectos esse, de Sarmat. Asian. l. 1. cap. 14. De Hunnorum prima expeditione notum est, neque id nunc probari attinet, incidisse in IV. a N. C. sec. annus memoratur 370. Iohannes Nadanyus l. 1. cap. 8. Eorum posteros esse Hungaros, plures et egregio ingenio viri tradunt, Antonius Bonfinius rer. Vng. decad. 1. l. 2. a principio, Abrahamus Bakshay de ingressu Hunnorum in Pann. sub initium, et ex mente aliorum Michael Ritius de regibus Vngar. Io. Matth. a Sudetis de origine Bohem. Nec abludit multum Elias Reusnerus: dissentit ab his Iohannes Aventinus l. 4. Annal. Boi. Iacobus Spigelius, novissime Georgius Hornius, et H. Conringius, quibus ut assepuemur, multae sunt causae, quae nos hortantur. Sed in praesens satis est, breue Vandalarum, Gothorum Hunnorumque in Pannonia imperium ostendisse: cuius rei significationem dare voluit Paulus Iovius Hist. l. 1. edit. Bas. p. mibi 2. Summatimque id complexus est Sebastianus Munsterus in app. Geographic. Ptolomaeo addit. pag. 175.

S. V. Sed haud multo post ad ingenium redibant Gothi, et redintegratis paulo viribus, occasione utebantur praeclare existimantes, ex usu suo fore civile Hunnorum (e) bellum, quod nisi hos effecisset miseros, forte procul metu fuissent, suffecturi omnibus, qui lacesserent, praecipue iis, qui ereptum Pannoniae regnum vellent. At vero, quod intestinae discordiae malum est, res ipsorum iam in eum devenerant locum, ut, quando corrigi non possent, imprudentiam seu turpi exilio, sive servitute luerent, pro futuro posteris exemplo servandae concordiae atque domesticae tranquillitatis.

(e) In compendio describunt Abrab. Bakshay de ingress. Hunnor. in Pannon. Io. Sambucus App. 829. Michael Ritius de reg. Vngar. ex veteribus Iornandes de reb. Get. p. 132. 133. 135. Paulus Diaconus auctor est, Ostrogotthos statim ab Attilae



Attilae excessu turbasse, nec filiorum aequae, ac patris, imperium ferre voluisse, p. mib. 372. Obvium in hoc Attila est exemplum affectati in omnes reges principesque dominatus, quam iniusti, tam foedi exitu, et minime diuturni. Diserte Iornandes, Attila Hunnorum omnium dominus, et poene totius Scythiae gentium solus in mundo regnator. Quo nil aliud consecutus est, quam ut tot regna male parta omnibus gentibus quasi offerret in praedam, nec esset quisquam, qui moderate sentiret de transgresso omnis moderationis leges. Auspicabantur egregium facinus Gotbi, et primi excutiebant iugum, ac libertatem restaurabant. Quod vellem, in omnium Principum animos descenderet, quo ius, bonum aequumque Dei et gentium causa, curent recte atque id unum studeant gnaviter, ne VNVS OMNIBVS imperitet. Providebunt sane Gotbi, Cimbri Teutonesque ne quis hanc nobis extorqueat felicitatem, ut sine periculo imperia, nos pace vigeamus.

(f) Nil Attilae filiis restabat, quam ut male consulerent sibi, dividerentque imperium, quo perderent, perderent vero, ut simul ipsi perirent. Nempe ita Deus mulctat crudelis atque efferati regis filios, ut non intelligant, quibus rebus aut evertant sua, aut conservent. Disidebant singuli, ut universi opprimerentur. Regnare omnes volebant, ut omnes in exitium ruerent. Triste spectaculum, et dispar superioris fortunae, quae affulserat, Attilae patri, ac revocandum adeo in mentem illis, qui neque desinunt, neque conquiescunt, donec exemplo fuerint perinde tristi, et cuius misereat omnes bonos. Quod ad genus Attilae spectat, fabulas plerique immiscent, quale est illud, quod Michael Ritus l. 1. de reg. Vng. scribit, Attilam accepisse in matrimonium Ducis Saxoniae filiam. Perinde ac si iam dum Sec. V. ducis Saxonici cum haereditario imperio fuissent, cuius vanitatis me taedet prorsus, et satis habeo perstrinxisse in dissertatione de VVidekindo M. Nescio etiam, quo iudicio Philippus Callimachus, qui post Paulum Iovium vitam resque gestas Attilae literis mandavit, dubitare possit de morte Bledae, peremptus ne a fratre Attila sit, nec nec cum hoc Iornandes et Paulus Diaconus affirmant, quibus propter recentiorum aliquot suspiciones derogare fidem, praeter rem est. Neque id a ferocissimi Attilae ingenio valde alienum censeo, praesertim quod sint, qui coniciant Attilae de coniuratione suspectum fuisse fratrem, Gasp. Ens l. 1. p. 22. Hist. rer. Vng. De Vxoribus tradunt, habuisse plures: nec obnitor: et multi eius filii memorantur, imprimis Ellac patri carus, sed praeter omnem spem in praelio cum Gepidis commisso occisus, Iornand p. 133. R. G. Mirum dictu, quam perperam novitii nomina exprimant Attilanae progeniei, quae si ponam ex ordine, ut se contingunt sanguine invicem, non fecerim praeter instituti rationem,



Mundzuccus \* Oflav. Roas.

Attila. Bleda (aliis Bleta, Theophani  
Bdela)

Ellac. \*\* Chaba \*\*\* Aladrius. Hernach.

\* Iorn. R. G. p. 115, et 132. Conf. Blondus Foroliviensis l. 2. de imp. inclin.

\*\* c. Iornand. R. G. p. 133. 134.

\*\*\* Michael Riccius de reg. Vng. p. 864. sed qui aliquando cum Bonfinio suam  
olere videtur Ioh. Nadanyo, praef. Flor. Hung. ad lector. Ego nunc desidero  
auctores, unde allegat nomina Attilanae stirpis. Confanguineos filiorum Attilae  
recenset Iornand. p. 134. R. G.

Opportune hic arbitror prosequi me posse, quod vulgo traditum est de insolentissimo titulo, quem usurpasse Attilam ferunt. ATTLA MVNDZVCCI (al. MVNDIZICI, al. BENDEVCVM) FILIVS, NIMRODI NEPOS NVTRITVS IN ENGADDI, DEI GRATIA REX HVNNORVM ET MEDORVM, GOTHORVM, DACORVM, METVS ORBIS, ET (POST COLLOQVIVM EREMITAE) FLAGELLVM DEI.

Approbant Sebast. Munsterus in app. Geog. et Petrus Revva, Centur. rer. Hung. 7. pag. 145. sequitur Conrad. Theod. Linck. Th. Hist. polit. in Attil. Nadanyus dubitat Fl. Hung. p. 32. Ego nego ob multas, quae in promptu sunt, rationes, et pro-  
sus ineptire credo, qui immorantur tuendis his nugis. Repugnat enim in doles V. se-  
culi, quandoquidem titulus, Dei gratia, multo serius coepit, et, ut manifesta indicia  
sunt, primum Carolingorum aevo: repugnat insuper rerum titulo comprehensarum  
ratio, quum nemo sit, qui nesciat, Mediam ab Attilae dominatu disiunctissimam  
fuisse: repugnat demum praeter alia conditio Attilae, qui nec dicere se Nimrodi ne-  
potem iure, nec scire facile de Nimrodo, nisi ex sacris, quas ipse ignoravit, literis po-  
tuit. Dabo enim Belum profanis cognitum, sed non aequè Nimrodum. Eo Conf.  
Georgius Hornius dissertat. hist. pol. 21. pag. 196. et post eum Rudolphus Roth, vel  
maxime ideo, quod ex Museo Bosiano publicum fecit Attilae numum. Sed haec at-  
que talia in publicis recitationibus diffuse pariter et accurate expendisse nos recorda-  
mur.

§. VI. Nec vero diu incoluerunt Pannoniam Gothi, effusis mox An-  
doino rege Longobardis, qui ferre in armis ius, et pugnare potius, quam  
petere assueti, ingruebant summa vi, Gothosque agebant in fugam.

Tralatitium id Germanis olim Gallisque memoratur: de illis cognoscas ex Floro,  
ep. H. R. l. 3. c. 3. qui non quod aequum semper, sed quod utile esset, assequi opta-  
bant, quippe bello migrationibusque in tantum efferati, ut, quod precibus nequibant,  
protinus armis peterent. Nec aliud veterum Normannorum ingenium fuit, ut apud  
quos



quos piratica laudi esset, ac honestissimae militiae nomine censeretur, ut tradit Vb. Emmius rer. Frisic. ad A. 833. Conf. And. Sev. Vellei. ad Ad. Bremens. l. 2. c. 24. collat. cum l. 1. cap. 21. Processitque apud Holfatos eo licentia haec, ut, quantum quis praedari posset, tantum ornamento gloriae a caeteris distingueretur, teste Helmoldo l. 1. c. 47. rer. Slav. ex recens. H. Bangerti. Sed quod unius alteriusque partis, et certi populi vitium est, non continuo universae nationi Germanicae aspergendum, eo quod fuerint, qui abstinerunt hoc raptu, ut Tacitus prodidit de Chaucis. Mor. Germ. cap. 35. Velleius alioqui Langobardos gentem vocat Germana feritate ferociorem H. l. 2. c. 107. Non quod neget esse Germanos (negaret enim contra verum. Conf. Paulus Diaconus l. 1. p. 195. ex recens. Lindenbrog.) sed quia comparare instituit cum caeteris Germanis, qui propter consuetudinem cum Romanis mitescere multo citius coeperunt. Nec fecius constat de Gallis, ut apud Livium est decad. l. 1. 5. c. 36. Ego vero redeo ad Langobardos, quorum nomen inapte deducitur a prolixis barbibus, et deducunt tamen Paulus all. lib. pag. 199. Siffridus Presbyter ad A. 568. Ioach. Camerarius ad Niceph. Chronolog. p. 76. quos magno numero sequitur vulgus, et linguae nostrae, et omnis Germanicae antiquitatis ignarum. Vid. interim H. Meibom. Not. ad Hist. Bardevici p. 152. Colligoque id ex ipso Paulo, qui fidem facit, Longobardos sedes habuisse in patentibus campis, p. 203. Atque hos non modo *Seld* quod ille prodit, sed etiam *Borde* vocari, moris vetusti apud nostros fuit. Primus Longobardorum Rex traditur Agelmundus, a quo nonus ordine regnavit. Audoinus, auctor idem ductorque expeditionis in Pannonias susceptae, ut reperire est apud Diaconum Foroiulensem. Conf. Iob. Sambucus, et Iob. Troster. descript. Dac. pag. 183. Audoinus filium genuit Alboinum, qui a Narsete evocatus, Longobardos in Italiam adduxit, vid. Er. Putean. Hist. Insubr. l. 2. p. 18. ut vere dicas, Pannoniam quondam quasi Martis pilam sanguinariumque ludum fuisse.

§. VII. Iam cessaturi a tumultibus videbantur Langobardi, si melior, quam Narses, ipsis monitor contigisset, qui quo rependeret acceptae iniuriae vicem (g) pristinam gloriam scelere mutavit, infensus usque eo et iratus Iustino Augusto, ut pudoris fideique oblitus, pessime consuleret in rem publicam, excitaretque Pannonia Alboinum, et, ne quid explendae animi libidini deesset, armaret in Italiae ruinam. Non displicebat Alboino consilium, nec interponebat moram, secuturus, quo Narses, Romani exitii cupidus vocasset. Igitur mutat veteres sedes, et cum magna suorum manu properat in Italiam, (h) cum Hunnis de repetenda Pannonia pactus.

(g) Paul. VVarnefrid. de gest. Longobard. p. 222. Anastasius bibliothecar. in Iobanne III. Pontif. p. 60. edit. Mogunt. Hermannus Contractus ad A. 565. Marianus Scotus A. 566. Sigebertus Gemblacensis Chronograph. A. eod. edit. Pistor. Abbas



Abbas Stadenf, recens, Reinet. Sed quod miror, tacent hoc seculi VI. Scriptores, Protopius, Corippus, et primus memorat Sec. IIX. Paulus, quem IX. sequitur Anast.

(h) Refert Siffridus Presbyter ad A. 568. Langobardos occupata Italia, dedidicisse Germanicam Linguam. Quod Latinam, licet insuetam, sibi reddiderint familiarem, indicio sunt Langobardicae leges. Paulus VVarnefrid. de gest. Langob. l. 2. p. 222. adfert Hunno. Langobardicae pacificationis summam, nempe convenisse inter utrosque, ut Hunni tamdiu retinerent Pannoniam, donec suos non urgeret necessitas redeundi. Haec vero si abesses, haberent Pannoniam sibi, et foedere mutuo colerent amicitiam. Conf. cum p. 222. alleg. p. 214, edit. Lindembrog. Prudenter sane et opportune et quasi diffisis fortunae suae cogitatum, si aliter usu eveniret, quam destinatum fuisset. Qui temporum rationes subducunt, hic sive initium, sive epocham collocant secundi Hunnorum reditus in Pannoniam, id est, in A. a N. C. 567. Hunnorum, dico, ne cum Hungarorum altera migratione confundatur. Nadanyus Fl. Hung. lib. 1. cap. 13. Iob. Sambucus supra alleg. Caeterum Langobardi duobus et quadraginta annis confederant in Pannonia, quando cum liberis et lae in Italiam discesserunt, haec tenus Romanorum, ut signat Paulus, adiutores nunc hostes. Vid. p. 222. et 219. de gest. Langob.

§. VIII. Ita Hunni velut ab exilio reversi, Pannoniam, unde extrusi ab Ostrogothis fuerant, beneficio ab Alboini recuperarunt, (i) et tot calamitatum, quas acceperant, solatium tandem atque optatum finem habuerunt, redditique patriae, unde sine redeundi spe discesserant, procul periculo et iniuria Ostrogothorum, qui ipsos afflixerant prius, salvi atque incolumes floruerunt, usque dum Romani iterum conturbarent huius fortunae rationes, et vim facerent bello, repetituri etiam, si possent, (k) Pannoniam, velut suam.

(i) A. Bonfinius non modo subscribit nobis, sed etiam confirmat, Vnnos in proferendos recepti regni fines intendisse animum, et omnes vires, decad. l. 1. §. p. 144. Nec multo post movisse in Francos, idem asseverat, et ante eum Gregorius Turonensis Hist. l. 4. c. 29. qui interpretatur Francos Occidentales, sive Gallos, horumque regem Sigibertum, cuius multa industria fuit in placando Vnnorum rege Cbagano. Alii ibidem, Gagano, legunt: Paulus Diaconus Cacanum, Sigibertum Cbaianum, multi Kaganum scribunt. Sed aliquanto post tempore, quam in vivis esse desit Turonensis, bikum quoque cum Francis Orientalibus gesserunt Vnni, ut approbant Paulus Diaconus l. 4. cap. 12. gest. Langob. Sigibertus ad A. 601. De Cbagani nomine observo, perinde apud Vnnos, atque Pharaonum, nec non Ptolomaeorum Lagidarumque apud Aegyptios, invaluisse, ut gentilitium omnibus, nulli singulare esset. Quorum illud ex Iosepho Iob. Henr. Vrsinus, hoc ad Nicephorum Constantinopolitanum Ioach. Camerarius, ad Iustinum Iob. Freinshemius probat. Et de Bato-



Batonis veteri cognomento iam supra est traditum, Nec est, ut quid addam de Romanorum Augustis, Albanorum Sylois, Parthorum Arfacidis, Langobardorum Flavii, de quibus Servius, Aurelius Victor, Iustinus, Paulus Diaconus praeclare commemorarunt. Conf. ad hunc Frid. Lindembrog. p. 352. Assentiuntur de Chagano post Turonensem, Sigebertus Gemblacensis Chronograph. A. 520. qui nunc Kagan, nunc Chaian signat: Aimoinus l. 4. c. 5. de gest. Franc. Paul. Diaconus l. 4. c. 38. Distinguit vero Monachus Benedictinus Adelmus A. 782. et quos nos reges, ille Principes Vnnorum vocat. Neque inficiari velim, divisum aliquando Vnnorum imperium fuisse, ut ex Procopio mihi liquet, quibus forte rebus accidere potuit, ut qui imperium, iidem et nomen dividerent. Sed Iob, Sambucus tradere videtur Chacanum notione singulari, tanquam Avarii, in regno Vnnico successoris, qui a morte Zeliobis regnum gessit, Vnnos appellatos esse Avares. Hos Abaros, et Avares vocat Ioach. Camerarius not. ad Chron. Niceph. Const. p. 82. Quorum tam exosum fuit Constantinopoli nomen, ut Constantinus, qui dicebatur, Copronymus ob connubium, quod cum Chagani filia contraxerat, male audiret apud suos: ibid.

(k) Bellum Hunno-Avaricum nuncupant vulgo: perperam vero, quia Hunni et Avares una gens, neque origine, neque natione distincta, fuerunt. Ex quo non possunt non errare admodum, qui Avares Hunnorum socios, et tanquam sede ac sanguine discretos, censent. Torquent hic se multi, et inter eos novitii quidam, intrincantque adeo, ut non habeant, quemadmodum extricent. Quod ego quidem valde miror, quod refragentur scriptores medii aevi, et habeant pro iisdem. Ex reliquis Aimoinus alterum explicat per alterum, ac una eademque notione, quatenus paria faciunt, copulat, atque a Dalmatia, unius aliquoquin regni societate iunctis distinguit, lib. 4. de gest. Franc. c. 24. De coetero, qui belli causam expediunt, nec nisi merito, reiiciunt in Chaganum, cum quia turbatorem finium Romanorum, tum quia violatorem pactorum inter Vnnos Romanosque conventorum. Refert eo legi annales Constantinopolitanos, cumque his Iobannem Zonaram et Nicephorum, illum quidem magis. Inter Latinos Paulus Diaconus auctor est, Priscum patricium, Mauricii Imp. praefectum, virtute sua devicisse Vnnos. Sed corrumpit hanc gloriam Commentiolus Dux, ut clades adeo clade foedissima rependeretur. Vid. Chron. Cario-Peucerianum de bello hoc l. 3. in quo id notamus, quod Hunnos Hungarosque permisceat. Addatur Tobias VVagnerus in hist. l. 7. in Maurit. et Iob, Lactus in eod. Ut recte scripserit in Chron. Michael Neander p. 258. Hunnos ab secundo reditu Pannoniam, aut iam Hunniam potius, ad Caroli M. usque tempora tenuisse. Nescio, quid in mentem venerit Iobanni Sambuco, qui minime veretur affirmare, receptam a Mauritio Imp. Pannoniam esse, commutationemque hanc refert ad A. 604. Equidem fateri velim, recipiendi animum habuisse, sed recepisse eam omni fide careat, qui dixerit contra historicorum fidem. Ita turbavit Hunnia, et turbata est, Hunnis crepta non est. Iamque constat, opinor, elogium ΟΥΡΓΑΚΗ (Vngri) quo nisi



usi sunt Imperatores Graeci, a VI. hoc seculo arcessi non posse: et, si arcesseretur, ut certe nunquam potest, Hunnici, sive Avarici sumendus titulus fuisse, quandoquidem Vngrorum historiam non liceat ordiri altius, quam ab aevo Carolingorum,

§. IX. Sed quanquam instaret urgeretque Romanus hostis, et proferre denuo imperii gloriam vellet, usu tamen didicit, frustra tentari omnia, resque suas plus plusque adduci in maius discrimen, Mauritio (I) domesticis odiis, quae brevi post adferebant exitium, implicato, ut neque explicandi recte consilii facultas, neque belli feliciter gerendi occasio relinqueretur, donec altero abhinc seculo inceseret cupido Hunnos, ageretque in tot rapinarum spem, ac effunderet velut tempestatem in Germaniae (m) fines: quo factum est, ut suscitarentur iniuria Franci, et quum in officio contineri aegre possent, maiorem eorum partem excinderent ferro, quodque supra Romanorum vires erat, praedas atque populationes istas tandem inhiherent, adderentque id honori praecipue suo, quod soli post Ostrogothos subegissent Hunnos.

(I) Quod lubricum est rerum humanarum, Mauritius, qui per avaritiam multa indigna admiserat, prius exitium sibi ominatus est, quam exitio involveretur, velut fati praescius sui. In quam rem vid. praeter Iob. Zonaram, Georg. Cedrenum proprium Maurisii imper. rescriptum, ad A. 602. et Goldast. T. III. Constit. Imper. pag. 636.

(m) Qui frui prosperis longius poterant, nunc, quod diuturna Caesarum patientia abusi fuissent, ultore Carolo iustas poenas pendunt, et tantum non extirpantur. Quanquam hic non exequar (egredi enim eo non vacat) an a IVto inde seculo, quum e vivis excessit Constantinus, Caesaribus aliquid iuris in Pannoniam reliquum fuerit, nec temere dicam, quod fuerit, praesertim V. et VI. seculis, a quibus ad hoc usque tempus Pannonia habuit separatas rationes, neque nisi semel imperio Romano ad Teutonicos delato innexa inclusae fuit, si maxime veltigalis aliquando fuit, ut dicetur infra. Sed illud ex his colligi facile iudicarique potest, quae longa exercitatione atque usu maximo Christoph. Besoldus de Iurisd. Imp. et Hugo Grotius de I. B. et P. tradiderunt, Mibi iam satis est, ostendere regnorum vires, et reddere IIX. seculo Hunnos Carolingorum armis subactos, et in eius rei testimonium replicare annales Franc. A. 788, et 796. Annal. Fuldens. ad A. eund. Eginhardus de vita Kar. M. c. 13. Monachus Prumicnsis A. 791. et 796. et ex eo Monachus VVeingarzensis Gabriel Bucelinus Annal. Germ. An. 796. De regibus Hunnorum persuasus omnino sum, caruisse plena regni potestate, si forte Atilam excipio, qui rebus bellicis viam sibi ad herile ius munivit. Quo Conf. Iornand. de reb. Get. qui loco supra dicto significanter Dominum vocat. Reminiscor hic opportune, quod scriptor annalium Francicorum ad A. 796. Hunnorum Principes, Regino



ad eundem *A* Duces nuncupet, quos ipsi alias nuncupare Reges solent. Quod indicio est, vetus Hunnicum regnum valde a servili obsequio abhorruisse. Quod negare non audebunt, qui et ingenium, et morem Hunnicæ gentis contemplantur. Huc vid. *Deductio Bobemica A.* 1620. edita, sed caute alioqui legenda, pag. 18. *Goldastus de reg. Bob.* l. 1. cap. 5. p. 47. ubi correxit opinionem, quam superiori tempore probaverat de constitutione *Iodoci Ro. Regis*, ut ea quidem extat apud ipsum *T. III. const. imp. ad A.* 1410. cum qua forte conferre possis illam, quæ reperitur eod. *T. ad A.* 933. sub nomine *Alberici* velut regis Romanorum concepta. Sed ut erravit *Goldastus*, dum olim censuit, *Iodoci* constitutionem in legitimis numerandam, ita non exquisite loquitur ib. de reg. Bob. 1. quando Hunnicam constitutionem appellat, quam Hungaricam appellari oportebat, cum, quoad respiciam res Hunnicas, nil inveniam constitutionum Hunnicarum.

§. X. Deleta Hunnorum gente, Vngari (n) ab ultima Scythia, per regiones aditu arduas profecti, ferro aperuerunt viam, et cohortati se alacriter invicem, versus Pannoniam fecerunt iter, ac nullo resistente incolis vacuum occuparunt, nec occupasse contenti, erumpere inde sæpius, et invadere Teutonum ditiones coeperunt.

(n) *Hepidannus* coenobita in annalibus per *Agarenos* denotare voluit, quamquam non vere et contra civilis historiae migrationisque gentium leges: idem de vita *S. VViboradae Vngros: multi Vgros*, quos non semel imitatur *Lazius*: scriptores rerum Sarmaticarum *Iubros* appellitant. *Chronicon Reicherßpergense Vngaros* scribit, et migrationis causas reddit ad *A.* 890. cum quo iung. *Otto Erising.* *Chr.* l. 6. cap. 10. Nulla etiam huius gentis mentio existit ante IX. seculum: non quod non fuerit (fuit enim in Scythia Europea, sive Russia, ut videre est apud *Matthiam a Michou*, *Alexandrum Gvaguinura* edition. *Pistor.* et *Sigismund.* *Herberstein*, *Iob. Nadan.* etc.) sed quia tali nomine sub hoc Sec. primo venire coepisset. Venit adeo in mentem *industriæ Iobannis Aventini*, et qui hunc recte sequuti sunt, *Iacob Spigelii*, *Fr. Irenici*, *H. Conringii*, quicquid de uno atque altero in contrarium extet, quos destituit accuratior notitia historiae migrationum. Primum erroris confusionisque exemplum referunt ad *Siffridum Presbyterum Misenensem*, qui ad *A.* 801. perperam *Kngaros* exprimit, quos exprimere *Vnnos* debuerat. Ac ita sensit in not. ad *Egenb. Fridericus Hesselius*: at iam ante eum *VVitechindus Corbeiae monachus Avares*, inquit, quos modo Vngarios vocamus, quod suspicabor caeteris præbuisse errandi occasionem, inprimis, quod permatet *Avarium* et *Vngarorum*, quasi eorundem populorum nomina l. i. *annal. De Siffrido addo*, insigniter impigisse, quandoquidem *Vngaros 801.* hoc est, *Caroli M. ævo* memorat, qui *Arnulphi ultimi Carolingorum imperatoris* ætate emerferunt primum, et redacta in possessionem *Pannonia (an Hunnia major) agminibus infestis* transferunt in *Germanicum*



agrum. *Ut appareat serius esse Vngariae nomen, et primis, quae a nato Christo memorantur, octo seculis ignotum prorsus inauditumque. Nec tamen sustinendo inficias ire, Vngaros, tanquam Vnorum successores, propter ferociam moresque barbaros paene similes, ac vero populari solum sermonis genere, ab Hunnis tulisse cognomen, ut in Palatinatu ditio Hunesfruk, et ore omnium celebrata arx Hunoltstein, testantur, de qua vid. Seb. Munst. ad Rhen. tab. nov. in Hunnorum praesidio. Tremonienſe Chronicon. meminit aquationis Hunnorum, de Hunnentranctet repetitque eius vestigia a X. seculo in quod incidit memorabilis clades Vngarorum, qui parum exquisite nominantur Hunni. Iob. Isacius Pontanus in historia Gelrica l. 5. p. 67. approbat in Velavia superesse rudera castris Hunnicis, sed si accuratius loquamur, Vngarici, vulgo ex more Belgico Hunnenschans appellati. Nisi tamen ad seculum VI. quo Hunni in Galliam Germaniamque excurrerunt, referre praedictum castrum placeat, quod tamen nec innuit Pontanus, nec mihi videtur longius porrigi, quam ad X. usque seculum. Conf. Georg. Hornius hist. Imp. p. 241. Otto Frisingensis numerum velut locustarum, reliqui saevitiam quasi belluarum percensent: ille l. 6. Chron. c. 20. Hermannus Contractus A. 900. seq. Qui Reginonem continuavit testis est, insolenter dixisse, superari se non posse, nisi terra forte deglutiret, ad A. 967. addatur VVitichindus A. 1. p. 7. et deinceps, in quo tamen, ut plerisque aliis ex medio aevo, desideramus loquendi accuratorem: Eckardus Monachus S. Gallensis A. 938. Christianus Vestisius Chron. Basil. Germ. edit. 1. 2. c. 10. coeteros referre, longum foret, Vngaricos cum delectu velim legi.*

§. XI. Crescebat ferocia in dies, et tributo, (o) quod iniquissime flagitabant exasperabatur magis, nec cohiberi ante poterat, quam validos exercitus opponerent nostri, ne posthac tam indignis violarentur modis, neve in perpetuam abriperentur servitutem, quum prospicerent iidem, atque expenderent probe, et ut fieri his rebus solet, res alias ex aliis cogitando, id tandem omnes Viris Germanis dignum consilium caperent, ut iusto praelio expedirent miseriarum finem.

(o) *VVitichindus ait l. 1. A. Legati Vngarorum adeunt regem pro solitis muneribus: regis nomine designat Henricum Aucupem Francorum Orientalium Saxonumque Regem. Multo clarius Sigebertus ad A. 904. confirmat, regnum Ludovici, id est, Germanicum, quod per id tempus gessit Ludovicus Rex Teutonicus, idemque Arnulphi filius, vestigale sibi fecisse Vngaros. Accedebant tunc iniuriae atque innumerae vastationes, quibus affluerunt Germanicam rem. Vid. Ab. Stad. A. 909. 910. 913. 915. 917. et seq. Conf. Ch. Cario-Peucer. l. 4. in Henr. Aucup. et Oct. I. in primis G. Ens l. 1. ver. Vng. ad A. 920. 932. In Dalmatiam, quam Misniam cum eruditis, non Dalmatiam cum vulgo interpretor, penetrasse, ex Monacho Corbsiense certum est: nec minus id de Saxonia manifestum, quod Bremam usque*



usque effusos fuisse, fidem faciat Abbas Stadensis. De Alemannia, et reliquis superioris Germaniae provinciis, quas illi ipsi ferro ignique vastaverant, per se liquet satis. Ita nil erat, quot tot malis usque defatigatos liberaret, nisi fortuna belli, quae nunquam constanter indulget, miseriam hanc cum gaudiis commutasset, quo tantam ignominiam diversis praeliis deleverent nostri, praecipue iis, quae ad Salam non procul Mersburgo, et ad Lycum vulgo Lech, prope Augustam Vindelicum, commiserunt, quorum alterum Henricum Aucupem, alterum Ottonem filium eius, cognomento magnum illustravit, tanta strage Vngarorum, quanta nunquam haecenus audita fuerat. Conf. post VVitac hind. Corbei. l. 1. et 2. A. Huld. Mut. Iob. Nauclerus. Captorum Vngariae Principum supplicium est apud Script. Chr. Reicherst. ad A. 955. Recte Gasp. Ens, perierant, inquit, nisi periissent: quippe tantis cladi- bus domiti ceperunt occasionem aggregandi se Christianorum sacris, faustumque adeo hoc propagatae religioni seculum fuit: Horat. Turfelin. in Oct. I. Primus partibus Christi accessit Geysa, tum Stephanus I. relatus inter sanctos ob admirabilem, quae eluxit, pietatem, Ott. Frising. Chr. l. 6. c. 27. Ab hoc arcessitur initium tituli, REGIS APOSTOLICI: saepius quippe in diplomatum formulis videas. Unser Apostolische Kron. Sprengerus font. Iur. Publ. p. m. 73. repetit loquendi hunc morem a Vladislao, asserens, huic insigne regium coelitus datum: at contra fidem Vngaricorum et Polonicorum Chronicorum: Vid. Ens d. lib. R. V. pag. 40. Sed quoniam haecenus reges et plurimi Vngarorum hausissent doctrinas coelestes, tamen universi demum Henrici II. aevo initiati sunt mysteriis nostris inserique Christo: Otto Frising. l. 6. c. 28. Caeteroquin ad civile institutum hic refert, ut observemus, Vngaros, qui hucusque vestigales habuerant Germanos, facta insigni verum temporumque commutatione, ad pendendum tributum postmodum a nostris adactos fuisse Chronicon. Reicherstergense ad An. 921. discrete tradit. Henricum Aucupem, Vngaros sibi tributarios fecisse. Tributarios, dico, non subditos, quum haec longe ab se invicem distent. Sed multo aliter evenit Henrici III. aevo, quo fidem obsequiumque regno Germaniae devinxerunt, sed ad tempus exiguum servaverunt, ac denuo facti sunt sui iuris. Quorum illud nemo luculentius affirmavit, atque Hermannus Contractus in Chron. ex Pistor. recens. ad A. 1045. ubi Principes Hungarorum perhibentur, Henrico III. Imp. iuravisse fidelitatem. Et apud eundem p. 140. legas, regem Andream Henrico declarasse parendi voluntatem, seu ut ipse ait, denunciaisse subiectionem, annum censum et devotam servitutem, si regnum se habere permitteret. Sed eorum me plane pudet, quae adferuntur ex quaternionibus imperii, quos vocant, consiliis plane et ab inscitis quodam scriba, aut forte monacho dispositis, quibus memorantur quatuor summa imperii regna, Romanum, Francicum, Polonicum, Vngaricum. Sed quod hic verba, tot naevi, tot errores. Partim enim regna inseruntur, quae neque tem-



pore Ottonis III. neque Caroli IV. quos ex vulgo applausores respiciunt, in ditione imperii Germanici fuerunt: partim regnum Poloniae Vngarico praepositur, sed absurde, quod illud tanquam recentius huic velut antiquiori post ponendum fuisset, ut suffragantur nobis evincuntque descripti ordines regum Europaeorum iuxta eam formam, qua olim conspicui erant in Concilio Bononiensi An. 1504. et eo editi commentarii caeremoniarum pragmaticarum: Vid. Ceremoniale Iulii Pontifici. Hodie certe risui omnibus sit, qui Vngariam regno Germaniae illigatam putet. Extat publica sanctio, in qua conceptis verbis negatur, Vngariam, Imperio Germanico annexam esse. R. I. A. 1566. §. 69. conferend. cum §. 70. Ibi expressa oratione asseritur, regnum Vngariae suo inniti iure, nec quoquam modo additum aut obnoxium Germanico esse: Da solche Landschafft (das Königreich Hungarn) dem H. Reich Teutcher nation, in nichts verwandt/ oder zugethan: hic propter tot lata a Germanis auxilia referendae gratiae exemplum continetur, daß solch Königreich/ und desselben angehörige Ständ/ sich herniederum gegen dem H. Reich/ desselbigen Gliedern und Ständen in fürfallenden Nothfällen auch mittheidentlich und dermassen erzeige/te. Quaerunt hic iuris prudentes, utrum optanda sit Vngariae cognatio cum Imperio, atque interior nexus? de civili non concedent Austrii, et non concessuros, argumento est R. I. allegatus: et forte dissentient Germani; si aeterni foederis vinculo adiungi imperio Vngaria vellet: quaequam enim id publice salutare statui posset, tamen non ex vano arbitreris, Ordines Germaniae id recusare, ac negligere fore, aut repudiare prorsus, quod non expediat singulis, et licet universos attineat, tamen haecenus attineat non nisi ex longinquo. Qui cum Boccacino suggerunt, non esse expetendum, ut recuperetur Buda, in illorum animo parum inest pietatis, nec sentiunt verecunde, nec loquuntur religiose. Curiosus hic in memoriam redigo vaticinia de perdendo Imperio Constantinopolitano, et post liminio deferendo ad Christianos, quorum meminerunt Gab. Barb. Grammondus et ex eo in pecul. diss. Ramspeckius, nec non Iohannes Lauterbachius tr. de bello contra Turcas suscipiendo A. 1595. Lipsiae evulgato, reliqua, ut Ioachimi Calabri, et similia, collegit quidam Anonymus Gallus, quae in Latinum convertit Ioach. Paflorius. Sed multum abit Lactantius de div. praem. l. 8. pag. 419. quo existimaverim fortasse, respexisse ad Imperium Constantinopolitanum per Turcas evitandum, ut quidem perditis Graecorum rebus sec. XV. eversum est. Nil necesse est hic addere quippiam de bellis Vngaro-Turcicis, quae succincte complexus est Antonius Mannavivus Genuensis, ac Latine reddidit Philippus Lonicerus An. 1584. Conf. Iohan. Leunclavius, Aut. Bonfinius, Hier. Ortelius, quaequam hic aliquando corrigendus est ex Nicolao Iſbuansio: Caspar Dornavius de incrementis dominatus Turcici.

§. XII. Multa, nec ea ludicra, aggresso opus quaecumque restant, sed  
ea



ea desino commemorare hic, et, quod pietatis meae caput est, Vngariae (p) pacem, concordiamque, bona inter mortales maxima, salva semper atque integra servari opto, et rerum, quae hactenus quidem afflictissimae fuerunt, felicissimam, REGIQVE IPSORVM, et CAESARI NOSTRO gloriosam, REGNO demum utilem stabilemque commutationem precor idem, et vota assidue facio, ut LEOPOLDVS in dies votis maiora exhibeat singulis atque universis, nec modo VNGAROS, sed etiam GERMANOS sospites pacatosque praestet, ac in veteri utrosque fede sistat pariter ac confirmet.

(p) *Regnum hoc antiquum, et multis privilegiis auctum divina ope stetit haecenus, et, quoniam non exigua sui iactura, Turcarum impetus sustinuit fortiter repressitque. Quomodo ad Austrios pervenerit, post historicos, et nominatim Gerhardum de Rbo, exposuerunt Iob. Georg. Kieffer diss. de Habsb. Austr. Dom. pag. 178. sequ. scriptor Phosphori Austr. part. 2. §. 6. Melchior Goldastus in Der summarischen Anführung etc. De quibus reddere sigillatim, et iudicare penitus, nimis forte confidentis animi nunc videri posset. Sacrae leges, quibus continetur fundaturque, desumuntur ex decretis Andreae regis A. 1222. evulgatis et constitutione Ferdinandi I. ad forum pertinet decretum, quod vocant, tripartitum, articuli, qui dicuntur, et decretum Latino-Vngaricum iuris, quod appellatur, consuetudinarii incluti regni Hungariae et Transylvaniae A. 1660. excus. Item index, sive encbiridion omnium decretorum et constitutionum regni Hungar. eod. anno Leutschoviae editum: articuli iuris Thavernicalis, ut nomen ferunt, Viennae Austriorum lucem adspexerunt. Articuli, qui sic audiunt, universorum statuum et Ordinum incluti Hungar. regni A. 1668. Pottendorffi emissi nervos atque artus quosdam publici iuris complectuntur. Regnum, quod ex Bonfinio colligas, sub tutela Mariae, Divae genitricis est, regium insigne, si regis in anguratio est, gestat pro rex, alio nomine Palatinus, illudque in turri Posoniense asservatur: praeterea decem signa praeferuntur, signa inquam, decem regnorum, quae continebat olim Hungaria cum floretet.*

## XX. DE SUPERIORIB. UNGARIAE CONVERSION.

**M**Vratis populorum moribus, plerumque fortuna eorum convertitur, et penitus mutatur, quum ipsi se impediunt, diffidiisque implicant, suorumque auctores malorum, animos et consilia distrahunt, bellique rudes, in bellandi audaciam prorumpunt.